cdefghijklmnopqrr

ſtuvxyz

ABCDEFGH

MNOPQ

STUVR

Jn: Kozubski

ctare possit, sed inter
nnia ille tristis sedet, suspi
xius, nec risu hilarescit, nec
nsilium attingit. Fecit Joseph Jelec

Mariones absunt breve
ter quidquid homini essen
sus oblectare posset, sed in
ter haec omnia ille tristis se
det, suspirat anxius, nec
risu hilarescit nec apposi
tu attingit. Fecit

Comerus non pondere celo

ssa sanctitatue the serream

eabele quemadmodum medio

bcdefghijklmno

qr tuvxyz

DEFG

MNOP

TUSXYZ

Casimirus Antuszewicz

EXERCITATIONES

Ad

Fontium et aliorum in Rhetorica Locorum

rationem

a Decembris ad Maji kalendas

Exercitii gratia

In Schola Rhetorices

EXACTAE.

Lyskoviæ Annô post Christum natum 1781.

Die Maji

Admodum Reverende Domine

Visitator Dignissime

Multa nos, ut Tibi has exercitationes Oratorias exercitio quotidiano comparatas dedicaremus et hortabantur et deterrebant. Primum quidem ipsa cur dedicemus, ratio videbatur quadam aspergi suspicione, velle nostrum opus venditare, et Te nos minime secutos otium edocere, quae quam temera esset ac a tota mente distaret; perbelle nosti. Deinde Styli humilitas et debilis argumentationum nexus, ceu indignus, qui Tuis et aliorum Sapientum teratur manibus. Contra vero Tua imprimis humanitas bono nos esse animo et omnem abstergere jubebat metum, nimirum: qua humilia et abjecta instrui solent et illustrari. Monebat adhuc ille Tuus maximi consilii animus et quodammodo edocebat, nunquam a bono debere quemquam deterreri ob vanae jactationis opinionem, cum ideo optima quaeque intermittenda forent. Caeterum, quae Styli sunt; magno sumus animo non illius tenuitatem et dissolutionem sed gratum animum et divitem eorum, qui Tibi hoc munusculum offerunt; Te pensurum

pensurum animum juxta illud quod ajit Sarbievius:

Parva coronat munere se DEUS
Plerumque si quæ paupere dat manu
Dives voluntas, parva magnis
Sæpe animo placuere magno.

Tali ratione hoc vile donum magnum Tibi et perquam gratum videbitur, ac facile, sicubi peccatum adverteris, veniam dabis illis, qui sunt

Tuæ Admodum R^ndæ Dominationis

Indigni Servi

Oratores Lyscovienses ... D.

AMPLIFICATIO I.

Per loca intrinseca Definitionum et Enumerationum partium.

Materia. Nullus reperitur qui diligentiæ svavitatem non anteponat negligentiæ molestiis.

Ut nemo est omnium siquid humanum sapiat qui beatæ pacis et tranquillitatis delicias miseris perturbationum ac turbarum motibus anteponendas non judicet, ita nullus reperitur tam stolidus tamque omnis expers rationis, qui diligentiæ svavitatem plurimis negligentiæ molestiis potiorem esse non fateatur. Agite enimvero, quid usquam rerum est studentium, quod altissimæ pacis imaginem felicius adumbret, quam diligentiæ facies? quidnam aliud est, quam Mare quoddam pacatum ac tranquillum, unde insanæ formidinis tempestates et graves conturbati animi procellæ longius exulant? quid secus quam ager fertilis quem svavissimis ubique sapientiæ floribus consitum nulla dementiæ inimica vis unquam temeravit? Intueri videreris claram domum ac splendidam, in qua nihil non ornatum, nihil non compositum, recteque adornatum se offert, ubi confusio rerum nulla, nullus tumultus, nullæ agitationes, sed quies secura, summa pax, æterna tranquillitas, felicissimum domicilium

defixerê. At verò si quis funestissimam cruenti belli speciem videre velit, flectat mentis suæ oculos contrariam in partem et studiosi negligentis animum diligenter consideret. An non exhibebitur oculis ac æstuans aliquod et effervescens terribilem in modum pelagus, in quo decertantes concitatorum instar turbinum gravissimi cum timore spei motus tristissimas horis singulis procellas commovent, ac tempestates. Hinc namquè Præceptoris videtur sibi severa minitari æquitas, illinc experta toties benignitas fiduciam nutrire, hinc Magister quodammodo, voce, verbere crudelissimo instare, illinc ignavi pravitas animi nescium negligentiæ suæ Professorem polliceri adeo quidem, ut ubi de tergo infelicis nec satis faciendum putetur, obstrepente negligentiæ conscientia dignam vitio pœnam luere videatur. Nec mirum tantis animum inertis alumni exagitari stimulis, cum non ignoremus graviorem conscientia et infensiorem non dari posse inimicum. Nullus igitur, nullus tam parum amans pacis, tam perditè belli cupidus, qui non omni studio enitendum sibi putet, ut quanto cautius negligentiæ vitabit acerbitatem, tanto acrius diligentiæ svavitatem consectetur.

AMPLIFICATIO II.

à Genere et Specie.

Materia: Eloquentia est maximè necessaria.

Etsi multa sint, quæ homini quandam peragendi beatè vitam contineant necessitatem, demptis quin imo iisdem nec communibus laborans ærumnis duci spiritus quodammodo posse videatur; non minorem tamen dubio procul necessitatem eloquentiæ gloria jure dicitur contineri. Etenim si altius mente communem Hominibus pervolvamus rationem, quam varia et inpenetrabili obvolvitur dubitationum caligine, noverit facile, quantam laus eloquentiæ includat opportunitatem. Hanc enim ingenii humani difficultatem quænam post hominum memoriam artis facultas eloquentiâ felicius dissolvit? quodnam bonarum artium studium in ancipiti rerum statu firmius dare consilium et perculsos ad pristinam fortitudinem validius facundiâ revocare? Huc accedit illa ingenii ubertas, illa in dicendo admirabilis suavitas, ut illa, quæ consiliis extorquet, videatur imperare. Hæc quam facile pateant, testis est illa dicendi methodus quam summus eloquentiæ Parens jam innocentes conservando, jam impios comprimendo egregiè est persecutus. Et sanè quædam est latens et menti humanæ abstrusa vis, qua omnes in admirationem rapi suavitatis, gravissimo rationum convinci pondere, adeo, ut ea quæ per armorum potentiam ne quidem elici possint, facunda unius Oratoris dictione acquirantur. Catilina Oratoris potius quam telo Militis confossus est, nec fatalem Philippi Macedonis dolum Athenarum arma sed Demosthenis vicit oratio. Quæ verò in conservandis Reipublicæ bonis eiusdem ratio, quis Divinus explendis legibus Patriæ stimulus, quæ augendi hominum felicitatem necessitas

nec eadem dicendi facultas abundè explanare potest. Et verò Militaris quantum conduxerit facundia neminem fugit, qui ex Annalium fide aut semel egregiæ antiquitatis memoriam excitavit. Non enim infinita hostium multitudo, non locorum squallor; nec deniq; maximæ rerum omnium difficultates Militem frangere valuere, quos copiosa Imperatoris Oratio confirmavit. Valuit profecto valuit Alexander manu, domuit gentes immanitate barbaras, locis infinitas, nunquam tamen furentis rabiem coercuisset exercitus, nisi dicendi copia superasset. Quid Annibalem hic commemoro, qui licet perfidia comprimis Punica et fortitudine strenuè Romanos fuderat copias, eloquentia tamen nobiliores non modo de hoste palmas acceleravit, verum et inimicam sibi vicit naturam. Abs tergo enim montium cinctus altitudine, dextra levaq; duo tenens Maria, a fronte infinitæ hostium obvius multitudini, disertam capessit vocem, ubi Militum tot adversis occidit magnitudo. Ignavos docet, magnanimos fovet, montium asperitatem, insanos Marium fluctus, hostium monstrat furorem, hortatur, clamat; <u>hic nobis vincendum aut moriendum Milites est</u>. Miles ingentem tollunt clamorem, urgent prelium et facundiæ suæ Imperator reperit in victoria fructum. Sed sacra jam dicendi copia quantum valeat videamus. Eloquentia sacra etsi aliunde apud hominum natos non haberet commendationem, ipsum religiosum Nomen sat superque esset, quin cæteris nunquam præferatur. Quid enim amabo majoris fit quam mortalibus sanctum? Numini gratum? Sic enim existimare debemus, nihil tam à nobis colendum, nihil tam perfectu ne=

cessarium quam quod omnium arbitrio probatur DEO. Sed age consideremus quæ verborum ejusdem vis, quod vincendi animos pondus et momentum, quod incredibile commovendi Homines dicendi genus ut non à natura datum sed divinitus oblatum videatur: Hominem enim vel dicam pecus, æterni quem inferorum ignes nec severissima Judicis compungit æquitas, hominem ago hujusce modi ad vitæ correctioris studium sacri Oratoris vox revocat et accendit: Enimvero sacram si adire ædem contingat et in Concionem ascendenti auscultare, mirabimur sexcenta, quæ laudem sacræ indant eloquentiæ ac necessitatem. Nihil enim insolens unquam nihil futile auditur, non profanorum sed altissimi Numinis dicta citantur, non hostium qui conterantur, sed sua agitur, corda. Præterea strenuus ubi Concionator monitis instat, consiliis hortatibusque virtutem urget, plenum mox dolentium voce sacrarium, hi rectius et cum virtute vitam traducere, illi seriò de admissis à se criminibus dolere, hi pœnas à semet ipsis repetere proponunt, illi svavissimo quodam pietatis studio supremum in Numen exardescunt. Quæ cum ita sint, quid restat quam nullam ut acquirendæ hujus eloquentiæ laudem leviter feramus, eoq; maiori complectamur eandem studio, quo magis acquisitu dignam imo necessariam cognoscimus.

AMPLIFICATIO III.

Per Causas materialem, formalem, efficientem et finalem.

Materia Templum Salomonis omnium prestantissimum.

Etsi multæ in Annalium memoria passim celeberrimæ Templorum occurrant structuræ, quorum magnificentiæ multarum sæpius Gentium Thesauri providerunt, horum tamen omnium mole ac pulchritudine sua Solimarum Templum facile Princeps est; cui struendo alter Croesus Israeliticus opes suumquè prudentissimum contulit ingenium. Ac primum quod divitias spectat, quis innumerabilem armentorum copiam, quis famulantium sibi numerum, auri argentiquè sat enumerare pondera, ubi Reginæ Sabbæ ejusdem divitiæ sufficienti non poterant miraculo. Sapientia verò quanta pollebat quæ post hominum memoriam in Homine nota major quam ipse optimarum rerum Largitor DEUS infudit? Et sane abundè testatur posteritati hanc Divinam Sapientiam Matrum filii causa disceptatio quam extra omnium expectationem judicio dissolvit inaudito. Hic aio tam potens ac prudens Rex DEI auspiciis tam excellens est aggressus opus, sculpi per Montes jubet lapides pretiosa Cedri vehitur arbor, parietes purissimo vestiuntur auro, Mare funditur Æneum, Divina arca fœderis introducitur. His cæterisq. adornatum naturæ prodigiis necdum sufficiebat tanto Principi, ut omnium in terra teneret Principatum, idem distinxit. Propitiatorium Altissimi posuit ea latitudine, ut singulorum Cherubin ala Sacram circumdantium Arcam adversos caperet parietes, ædem deinde internam ea oportunitate donavit, ut eodem temporis momento infinita pecorum oblata in Cælos mitti possent. Cingi preterea voluit utraquè Templa Atrio, quo liceret omni hominum generi confluere aut devotionis ergo aut necessitatis supremum Numen exorabim. Sed quo amabo tam attentatu ardua tetenderè consilia? quo infinitus laborum

sumptus, aurique apparatus? quo triplex Sacrarii ratio? gloriosumne ut posteritati se preberet? an Divino hoc opere futuræ Nomen suum memoriæ consecraret? an impio Jeroboam consilio ut allectos fidei ratione subditos in sui amore et imperio foveret? minime. Longe diversus Salomonis animus. Honor unicus O. M. Numinis et Stimulus quo tantam struendo ædem ferebatur et accendebatur, Sacrificia Gloria DEO libita Israeli dictata commode sancteque immolarentur; summum rerum omnium Moderatorem DEUM gentibus incognitum tanti sacrarii fama revelaret. O. S. Salomonis animum dignumque tanto Rege Sacrarium! Merito sane merito augustissima in Orbe celebratur ædes, quæ tam prestanti artis dono precellebat; merito Dianæ cæterorumque Dæmonum prefertur delubris cujus omnis pretiosus auri apparatus gemmarum fulgor solam Optimi Maximi laudem et venerationem spectat.

AMPLIFICATIO IV.

Per effecta.

Materia. Nil magis pestiferum voluptate.

Si ullum est in homine vitium quo mortalis et sibi et toti humano generi pestem exitiumque afferre potest, tum certe voluptas, cujus ni defraudet genium, de se conclamatum est. Et profecto nulla tam detestabilis est a natura hominibus data pestis quam voluptas, cui potiunde homo avida libidine temere et effrenate incitatur. Hujus etenim

illecebris incitati homines nullum reperiri scelus, nullum tam atrox cogitari potest facinus, quod summa temeritate non attentarent. Sic Patriæ qua nihil charius, exitium moliri, opes Reipublicæ frangere, salutem ipsam extinguere voluptatis est. Testis est Tarquinius qui suæ libidinis ergò castæ vim Lucretiæ inferens Regni sui exitium accelerarit. Ecce verò quanta rationis sit pestis, qua siquidem nihil præstantius homini ab omnium rerum Largitore donatum est, majus hac oblata inferri nequit detrimentum. Tollit attamen, tollit omnem voluptas mentem, adeo ut nullum prudentiæ locum, nullam temperantiæ rationem patiatur. Quid enim immersus voluptati agitare animo? stultitiam, quid cogitatione consequi? stultitiam, quid ratione lustrare? stultitiam. Ea namquè infelix est voluptatis conditio, ut non modo intelligentia, hominem à natura spoliet infusa, sed et bestiola rationis experte miseriorem reddat. Animal namquè authori parens naturæ nunquam finibus ejusdem excedit, sæpiusquè non leve solertiæ dat argumentum, qua libidini deditum non dicam confundit sed sobrium demiratur. Voluptuarius autem nec naturæ limites videns intemperentassimis jam perpotationibus indulget; jam libidine ardens omnia verecundiæ repagula frangit, jam scrupis tesseris foliisquè insistit avide. Hinc lusus carissimum ad fraudem et luxum convertit tempus, Bachus mersa prius ratione, canis instar vomitus capit, Venus ubi animam conspurcavit corporis nervos incidit et rumpit. Parce igitur voluptarie, parce corpori tuo, quod hac peste infringis, parce tempori, quod iniqua teris libidine, parce animæ quam nisi sobrietate ducas,

ad cruciatus nullo ævo deturbas finiendos.

EXEMPLIFICATIO V.

Per Particulas Adjunctorum.

Materia Pauperibus ne ostiatim mendicare cogantur providendum.

Quonam infelici gentis humanæ fato dicam fieri, ut qui communem cæteris mortalium, idemq; fragilitati obnoxium sustentent corpus egeni, diversam cum divitibus vitæ rationem persequantur. Et sanè non est quod injuriosius in fratrem agi, quod in DEI leges fieri potest iniquius, quam Numinis ad imaginem efformatum, atque ad immortalitatem natum eadem anima exuperantem non tantum diversum vivendi modum pati ducere, verum in luctu et sordi-

Quis bus consenescentem non sublevare. Quis enim amabô hic sordidus est homuncio? hiccine, quem omnium Parens DEUS ad sui exemplar efformavit? at bestia incedit nequius; hiccine quem ut Servator omnium Christus apud inferos eriperet suppliciis, in Cruciatum ac necem obtulit? at indignum putant; hiccine, qui animam nullo consumendam ævo nobis similem agit? at bestia pejorem habent. Quem dicam? nam quidquid nostra conclamet superbia, prorsus ignoro! Nostri etenim generis est, noster frater; nostra species, eadem carne fruitur et sanguine quem purpura et ostrum tegit. Huc spectat illud quo à Christo

in terris commorante donati sunt, privilegium, quo ubi majoribus in rei domesticæ versatur difficultatibus, dignius Christi pignus et imaginem inopes præseferunt. Etenim quæ minimis facta sunt, sibi agit. Hinc mira fusæ ab iisdem precis efficacitas hinc illa apud Vindicem et Servatorem nostrum gratia qua mereri de Christo cœlumquè mercari integrum est.

Quid Sed qui tantum mereri? qui poterimus tam ingens consequi beneficium? qui fidem, officia Christo in pauperibus nostram sat præstabimus? Hospitalia Majorum pietate structa sustineantur, Eadem nisi capiendæ pauperum sufficiant multitudini, novis et capacioribus augeantur. Sed dicet quisquam maximo impendia tanti operis oneri? ego verò nullius esse. Veteribus enim sustinendis ab antecessoribus collati sufficient reditus, nova facile abundantia nostra eriget, ac sustentabit. Reditus modo prisci ab usurpatoribus vindicentur, vel exigua pars impensæ ab his, queis integrum est, contribuatur; quodquè stipi sit Christo, ludis aleisquè piè adimatur.

Ubi Et verò, quæ ingens pecuniæ vis cogeretur, si Varsaviæ Cracoviæ celebrioribusquè aliis Civitatibus eleemosynam publicam colligendo homines probi deputarentur, quot quantaquè fundari mendicis xenodochia qua copiosa possent provideri dote? Providerentur hac profecto ratione optimè et justè quidem. Quid enim aliud sanctissima DEI conditoris nostri

Cur lex requirit, quam ut egentium misereamur fortunam? non enim satis humanis cœleste Numen interfuisset rebus, si pauperes et egenos à ditioribus ali foverique non jussisset

Quid Christi Servatoris nostri promissa volunt usquè pro uno Calice aquæ frigidæ Cælesti æternaquè beatitudine munerantis? quid ipse humanitatis innatæ sensus ad voces et lamenta miserorum exigit, quam iisdem fidem manumquè porrigas? Ea namquè vix homo immanitate barbarus est, ut hominem ut similem sui creaturam ubi advertit membris mutilum, corpore seminudum, fame sitiquè æstuantem, non moveatur, sub dio æstu et procella in quisquiliis fimoquè extensum non excipiat, præ angustia, incommodis aera implentem ejulatu non misereatur. Huc accedit illa facilis tam pii operis exequendi et benè de DEO merendi ratio, qua nedum molesta sed etiam jucunda Stipum contributio

Quomodo fiat necesse est. Ac primum Antistitum curæ sit Verbi Divini Præcones edoceri quin ullam in Concionibus prætermittant materiæ rationem, qua consiliis congregatam alliciant concionem, qua gravissimis quotidie hortatibus ad contribuendum impellant; Sacerdotes instrui, ut confitentibus ubi se reis pro Sacro Tribunali aures dederint, in expiationem delictorum hujusce modi opera Charitatis comprimis inculcent potentibus, deinde ipsi Presules et Sacrorum Ministri exemplo præluceant optimo, quodquè suadere cæteris, primi explere non negligant. Nec minus etiam exequendi hujusce consilii accedet momentum si Princeps, et Magistratus data ejusdem nominis edicta, liberalitate anteierint. Insuper, quod in Venetorum lege celebramus, qua cautum in Testamentis piis primum et ante omnia alicui publicorum hospitalium debere legatum institui, nostrates eadem Sancte et piè imitentur. Hac autem ratione erectis jam Hospitalibus, ubiquè colle-

eti locorum includantur pauperes, ne deserant locum, cogantur; nève otio diffluant, justo labore firmi occupentur. Sed quid plura? facilis ut vidimus pauperibus providendi modus, sic æquitas jubet, sic Supremo visum placitumque est Numini, nil restat, nisi ut necessaria quæ affirmamus, opere expleamus.

TENTAMEN VI.

Materia Orator Principi dissvadet bellum

Si est ullum in Republica tempus cum nihil N. N. eidem ad felicitatem deesse solet; Civesque sine ulla fortunæ offensione svavem tranquillamque traducunt vitam, tum certe, cum ab externis internisve armis perturbatio omnis abest. Etenim quæ amabo felix faustaque dies, cum beatæ pacis homines gustant delicias, quæ fortunata Principis et Regni Procerum ætas, cum in gratulationibus Populi suscipiendis totam transigunt; quod Divinum in Terris tempus, cum uberes laborum Manipulos ruricula lætas inter voces et tripudia portat. Sed necdum prosperitatis terminus: Pecora vario læte vocis genere pinguia concelebrant pascua, Ipsa aristis in Terram pendentibus siligo læta DEO agit gratias qui Maturam se fieri, hominibusque concessit salutarem. Atque hæc quidem rationis et vitæ expers. Cæterum qui Principi toga vigente fructus

et incredibilis Patriæ commoditas ubi commercia validissimum ut ajunt Reipublicæ robur florent et infinitos passim proventus germinant. Et verò Mars quod immane belluæ Spectrum, quæ atrox pestilentiæ vis, qua collectæ non modo sub toga divitiæ sed ipsa hominum vita prædæ immanitatiquè datur. Oculi namquè scintillas omnia quæq; obvia consumentes evomunt, Nares stygiam contagionem et pestiferos vitæ spirant Anhelitus, Immanes loco dentium fauces ubi ubi gladiis perdunt omnia atq; devastant. Deinde mærore ac luctu propè modum omnia contabescunt, ipsa ut rerum, sensu quæ omni destituuntur, dolore quodammodo opprimi videantur. Illa superbæ Palatiorum structuræ, illa ædium in Civitatibus magnificentia, æquè ac humillima Ruribus tuguria, jam hominibus spoliata, jam semiruta jam incendio flammisquè inimicorum consumpta lugubrem quandam præseferunt speciem. Et quod mirandum magis ipsæ fluminum Undæ occisorum cruore hominum coagulatæ tardo supra modum impetu mæstitiam quandam profitentur. Jam verò jumentorum ubi hostilibus dantur spoliis, qui miserabilis ubiq; boatus pratorum sibi amænissimorum reminiscens, Homines verò divitiis, omni re domestica ipsaquè qua nihil carius est, habitationis sede orbati membris quibus sustentant vitam, destituti, vulneribus tandem confossi, ultimam inter angustias emittentes animam, commiserationem cæteris horroremquè incutiunt. Vide igitur N.N. vide, quod ex utroquè eligas, audisti cum summa animi oblectatione gratam beatæ pacis speciem, vidisti simul crudelissimum Mortis spectrum, non dubito quin ut tran=

quillitatis Princeps rejecto Armorum strepitu quietum legas tempus.

AMPLIFICATIO VII.

à Contrariis

Materia. Obedientiæ et docilitati à teneris assuescendum est.

Etsi multa sunt in literarum studio quæ primo aditu difficultatis nonnihil præseferant et inobedientiæ Regulis, quæ integrè cumulatèquè perficienda ipsa vis ingenita videtur reijcere, tamen hæc eadem, qualiacunquè sunt, documenta neminem dextræ fortunæ debent deterrere cupidum, quæ labore et usu mollita copiosam olim asportent messem. Sic enim est vita hominum ut nisi omnis ut ajunt in assequenda virtute moveatur lapis, ne virtutis quidem aut illius, quod gloriosum est, umbra comparetur. Dii ut falsorum Numinum Cultor loquitur, omnia laboribus vendunt. Optimum sanè labore opus venditur; præmium enim rationem servans hominum in se continet. Quod clarius ut pateat, morigerum cum pertinace docilem cum Studioso comparemus negligente. Obediens ad quævis Superiorum mandata promptus, inobediens minutissima murmurando contemnit, Alter cur mandetur causam non intendit, Alter injusta rationibus convincit nequissimis, hunc eximia ubiquè laude celebrant, illum ut caprum execrantur. Docilis item animum ad quæquè agit pronum, indocilis semper

aspera minitatur fronte, hic Sapientiam, ille stultitiam, hic laudem ille reprobrium meretur; huic est imitationis æternitas, illi ne momentum servit, hujus optatis votisquè respondet DEUS, ille fortunæ fulminibus petatur olim necesse est. Fieri enim nequit, ut idem legitima qui pati se Imperia posse negat, in sequentis vitæ curriculo nullius Imperio contineatur. Nulla etenim tam beata vitæ ratio, nullus tam felix Orbe in universo Status, cui Magistratus et cætera Mundi Imperia Leges non præscribant, harum si autem excutias jugum, tempestates fortunæ, libertatis, vel capitis periculum sint subeunda. His verò qua Homines tempestate potius imbui quam ætatis Flore? annosanè flecti quercus non infringi patietur? In teneris eo valet, inflectatur frutex, et ad sui mentem componatur. Florem, queis in puere coloribus tinxeris, maturus præseferet: nimirum quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu. Cæterum non ajo hic difficultatem, qua in Matura ætate Homines ex docilitate afficiuntur; non commemoro eâdem omnem patientiæ anchoram in studiis missam, non prædico Adolescenti consentaneam ad cuncta in literarum studio incommoda curiositatem amissam, hoc tantum addo volenti unquam nec facilitatem nec patientiam nec curiositatem defuisse. Siquidem præter Studia nihil quo occuparetur restaret, tota in Studiis ætas, totum in discendo tempus est transigendum. Et jure quidem, Natura enim jura quodammodo ætati huic indidit, quin a Studiis literarum et obedientiæ vacaret unquam. I tandem pertinax i literarum piger discite vel serò, quam egregia ex omnibus

gaudetis Commendatione, scilicet cujus et vestræ farinæ homunciones pudeat. In viridi flexu difficiles, in Arido eo veniatis necesse est ut cæteris in consolationem, in Malam vobismet Crucem frangaminor.

AMPLIFICATIO. VIII.

A Comparatione Similitudine Dissimilitudine et Notatione

Materia Pessimi Cives æterna infamiæ nota afficiantur oportet.

Cum nihil magis in Republica expetendum sit, quam Civium virtus, eadem verò destitutam jure miseram, imbellem vel potius defunctam omnes fateantur, facile intelligi potest, quantum Patriæ probi conducant, improbi Cives perniciem afferant et vastitatem. Enimverò quidni Cives constituunt Rempublicam? qui Patria nequissimis ex Civibus congregata servetur? Nam si humanum corpus compositum membris nequeat his dempstis subsistere, membra verò nisi convenientibus nervis copulentur nihil valeant et Respublica Civibus improbissimis atq; membris quibusdam constans putridis in exitium præcipitet necesse est. Omnia namque in Patria improborum rapinis, crudelitatibus et infinitis exposita sceleribus ad perniciem profligata atq; perdita sint, quæ vel unius nefarij Civis sæpius cessit audaciæ. Qui ve-

rò non cedat, hostes sunt, qui ferro, incendiis tacitis, Urbes, Oppida invadunt et devastant, pestilentia sunt, quæ Mulo Civitates furore assiduis machinationibus Cives perdunt. Hoccine Patria malum, hanccine contagionem, hanccine Respublica unquam perniciem? Enimverò si illi qui de Republica benè merentur; in omnium sunt memoria nec posteritas quidem infinita de horum laudibus obmutescet; certe hi, Patriam qui ulla oppugnant ratione, æterna sunt oblivione delendi aut potius eorum Nomina perpetuis execrationibus dirisquè devovenda. Hi namquè charissimæ tacti amore Patriæ oppugnatam armis ultro propugnant, illi lacertæ genus Matrem furentis plebeculæ armis oppugnant; hi salutaribus conservant consiliis, illi arcana cum Hostibus consilia Civium et sua in Rempublicam communicant hi optimis institutis et Sanctissimis stabiliunt Legibus, illi perfractis per summum nefas iisdem libertatem viresquè Patriæ venundant. Cæterum sicut ingratos in Matres compertum est Filios non modo hærede à natura spoliari Nomine sed etiam attrocissimas tum exilij tum capitis Lege sancitas subire pænas, ita hæc abortiva et incommunem Matrem ingratissima Soboles Sanctissimo Civis exhæredanda Nomine, ita turpissimum hujusmodi Naturæ monstrum æterna infamiæ nota coercendum. At verò quid aliud est Matrem odisse atque ad curam et decus ejusdem obdurescere? quid secùs est nullo in suî Genitricem ferri

amore, atq; seditionibus eandem et impiis afflixisse consiliis, quid tandem Capitale magis in Patriam charissimam detegit odium, atq; privata singulorum studia et communicata cum Hostibus consilia et Methodus animusq; illi nocendi publica privataque comitiorum ratione scelestissimus. Expungatur igitur et eradatur penitus ex Municipium Albo Civis hujuscemodi Nomen, si Civis appellandus est ac non potius fax Civitatum et pestis Reipublicæ. Afficiatur æterna infamiæ nota nefandum scelus et tristissimum impiissimi Civis facinus omnis retro posteritas execretur

---

CHRIA VERBALIS

Senten: Stultorum infinitus est numerus Salomon.

à Laudativo.

Tacete Oratores, aureo qui vestro dicendi flumine judiciis hominum dominamini, silete verè sapientiæ addictissimi, qui vestro ingenij acumine abditissimas naturæ aperitis latebras, linguam comprimite rerum Divinarum peritissimi, qui controversas fidei ac religionis nostræ quæstiones solidè explicatis. En vocem Orator capit, cui summam dicendi copiam facultatemq; non exercitatio, non innata vis sed ipse Optimus rerum Largitor DEUS infudit; en disceptare Philosophus qui Divina impletus Sapientia naturæ reconditissima atq; de pagina recitat, Sermonem Theologus ordiri, qui Oraculorum divinarum intelligentiam ex ipso æternæ sapientiæ hausit sinu. Et sanè fas est ut ad sapientissimi Regis orationem omnium, quos unquam coluit Orbis, sapientum ora conticescant, quem justus antecessorum nostrorum consensus et ipsa DEI oracula eo, ut nec majores nec unquam posteritas sapientiorem colant, comprobarunt. Enimverò illa de natura moribusq; mortalium hausta problemata, illa congrua Christia-

20

ne cujusvis ætati Philosopho doctrina longo volumine compre-
hensa, ille deniq. DEI sponsi Cœlestis cum Ecclesia Sancta con-
centus quidni Sapientissimi ingenij documenta? Et hinc quidem a Communi sese absolvit regula, ubi Sapientis Nomen quasi proprium sibi quodammodo vindicavit. Sapienter, inquit Salomon dixit scripsitq. plurima. Nihil attamen consentaneum magis rationi ac veritati congruum proloc-
tus est, quam stoliditatem ubi hominum ipse secum reputans Divino incitatus spiritu dixit: Stultorum infinitus est numerus.

à Paraphrasi.

Ita profecto est, sic approbata post hominum memoriam fert consuetudo, stultè omnia et perversè agi. Plena sunt dementium Oppida, plenæ insipientium Civitates, plenæ Stultorum Academiæ. Eo enim pleriq. mortalium graviori sæpè laborant morbo dementiæ, quo sibi cæteris plus videntur sapere. Hinc nulla tam beata in Terris regio, tam Sanctus Hominum cœtus tam humile agricolarum tugurium, quin malesani et incondito sensu offendantur. Hos enim quis sapientes dixerit qui suis insistere commodis, vitæ captare delicias, susceptaq. negotia ad optatum finem callidis perducere consiliis, non desistunt, hos inquam quis prudentes,

quos vulgus quidem Hominum ut prudentes laudat, extollit ut providos, ut acres et ingeniosos prædicat, integerrima tamen ratio imprudentissimos stultissimosq; jure probat. Et profecto stulti sunt qui honestati turpitudinem, libidinem moderationi, virtuti vitium, Cælo terram, bona caduca veris ac sempiternis anteponunt. Stulti sunt qui rejectis cœlestibus beatæ vitæ gaudiis obscœnas voluptates consectantur. Stulti sunt qui momentanea delectatione æternos sibi parant cruciatus, qui ex opinione omnia, nihil ex veritate judicantes vitam belluis ducunt simillimam. a Causa.

E Nec verò est cur tantam insipientium miremur copiam, siquidem paucissimi sunt, qui rationem vitæ suæ sequantur Ducem. Hæc enim ab universo Rectore DEO homini regendo destinata, quæ clavum prudenter vitæ moderaretur, maximis in turbinibus ac fluctibus passionum vigilaret, vitæq; cursum prosperè citraq; boni æterni offensionem conficiendum curaret; illa inquam per summum scelus et contumeliam exturbata in sentina vitiorum demersa jacet. Voluntas scelerum agitata inquietudine, nihil, quo tempestates cieat, mente non versare, nihil quod bestiæ refugiant, totis votis non exoptare. Memoria virtutum tranquil-

litatis oblita, DEOve integræ mentis et pacatæ Remunera-
tore optimo ac æternis vitiorum spretis naufragiis fluctus
revolvere atq; ad novos inflammari. His itaq; animi nata vi-
tiis cupiditas agit humanæ vitæ Nauclerum, littus fugit,
maximisq; mortalem tempestatibus objicit et periculis. Hinc nulla tam
dura est suppliciorum scylla nulla tam atrox inferorum Charybdis
cujus ut graviora videt fata, eo majori temeritate optet et persequat.

à Contrario.

O! miseram humanæ rationis cæcitatem, o! Stultitiam nulla Sæcu-
lorum myriade satis deplorandam! Minus equidem dolendum esset, si
quæ vastissimo in vitæ hujus Oceano Civitas si quædam gens ejusdem pro-
cellis et tempestatibus vexaretur; at vero universus terrarum Or-
bis demergitur fluctibusq; cedit; Ultima vix temporum memoria
unum nobis reliquit Ulyssem et Orphæum, qui ferali Sirenum can-
tu nec Circæs illecebris de Statu mentis dejecti non sunt. Nostra
verò die qui tam sapientes ut voluptatum lenociniis non capiantur?
qui tam felices ut libidinum Charybdes et arduas tentationum
scyllas prætervehantur? qui tam deniq; beati ut veræ virtutis
portum radant. Etenim omne, quotquot sunt, scelerum delectant
procellis, eoq; delirant dum in profundo interitus suffocentur.

à Simili.

Numeret igitur qui potest totius fluctus pelagi, quos inhorrescens Mare solet volvere, legat Arborum folia, quæ Autumnus serus decutit, colligat lapillos, quos in littoribus pontus alluit, expertes autem rationis ac prudentiæ homines qui numerare velit, ne iisdem sit comparandus. Sic enim à natura comparatum est, ut optima quæq; cara sint, vilissima ubiq; cernantur. Ita silicibus omnia et Saxis inutilibus loca squalent, ita molestis agri vepribus inhorrescunt, ita plantis infelicibus omnia opprimuntur. Ab Exemplo.

Sed primumne nostra id ceptum est memoria? hodiène littus arenam, Maria tempestates, Campi tribulos et spinas norunt? minimè gentium. Dum genus hominum est, malum id radices fixit et crevit, eoq; auctum est, ut post sexcentos et quinquaginta Sex supra mille annos ex infinita hominum multitudine unus superesset NOE, quem ipse rerum Arbiter DEUS sapientem celebravit. Excepit hic quidem extorrem illam terris prudentiam in navim vindicis DEI jussu à se constructam nisi denuo Sapientiæ plantis immiscerentur Stultitiæ atq; opprimerentur. à Testimonio Veteri.

Novit hæc optimè Vates Sanctissimus, vidit perbellè Sapientissimi Filij multo sapientior Parens, vidit inquam

exundans toto terrarum Orbe malum, idemq; Nato aperuit, tum profecto, cum visa Sapientum mira paucitate Sanctoq; ardore inflammatus exclamaret: Nequidem unum ex omnium gentium superesse numero, qui DEO Judice saperet rectamq; virtutis iret viam et Homini consentaneam vitam ageret! Omnes declinaverunt inquit, simul inutiles facti sunt, non est usq; ad unum. Ab Epilogo.

Quæ cum ita sint nemo benè sanus infinitam Stultorum inficiabitur copiam nisi arenæ Maris ponat Numerum. Quotus enim est qui rectæ sequatur Mentis institutionem? quotus est qui virtutem ac unicam habeat Sapientiam? Paucos sanè videmus, econtra Majorum nostraq; memoria plurimos dementes nobis demonstrat, Sapientissimus autem REX et Vates Salomon infinitum Stultorum esse Numerum dicit.

CHRIA ACTIVA.

Senten. Nihil Lingua pejus. Esopus.

A Laudativo.

Quanta illius Frigii Senis fuerit et ad recreandos Hominum animos industria et ad instituendam morum disci=

plinam solertia, uno hoc facto non obscure licet cognoscere. Etenim ubi ingeniosus hic Nugator à suis rogaretur necessariis, ut extrui exquisitissimis Mensam curaret dapibus, replevit linguarum ferculis; deinde pessimis ut quibusve Cibis appararet convivium, itidem linguas in Mensa easdem ministravit. Mirentur hic venerando in Sene ingenij celeritatem alij qua inter tot Ciborum varietates optima linguarum ac pessima mox cognovit paravitq; fercula, facetias alii, quas ridiculo in linguarum apparatu cum familiaribus miscuit, ego duntaxat abstrusam ejus et mentem et prudentiam veneror.

Ad Paraphrasi.

Quid namq; singulare acutus fabularum artifex eodem designari quid sibi pessimum quidq; optimum è linguis præparata volunt convivia? Dapesne linguarum tanto arrideant gustui? at gratioris quam linguæ, odoris Cibi habentur, an varium contineant Saporem ut optimas in epulas gratissimam et contra in pessimas maximè peracerbam gustui escam componant? at hoc quidem miraculum esset. Nihil enim naturæ magis est peculiare nihilq; solennius, quam adversis obluctari, illud profecto est non existimavit quidquam in terris potius esse hominis lingua nec pejus. Non enim ille inanem quæstionem solvere voluit sed in-

struere, qui magis enitendum, ut quæ prosint Homini et obsint, nec quæ gratissimi Saporis fercula sed quod veræ sit condimentum virtutis, cognoscantur. Et ideo præstantissimus hic Magister secus ac rogatus reposuit, primum quidem, ut quærentium tam insolenti Ciborum apparatu suspenderet animos, deinde curiosos, quanti sit pretij linguæ donum et dispendij, edoceret.

à Causa.

Et Novit enim perbellè atrocissima, quæ perversa de lingua gignuntur damna, novit penitusq; perspexit funestissimam post natos Hominum linguæ pestem, qua nullæ res unquam gravius collisæ ac magis prostratæ perhibentur. Quid enim amabò in Republica Christiana consensionem animorum comprimis dissolvit? diripuit lingua, quo latè in populos pravæ doctrinæ Virus disseminatum est? disseminavit lingua, quid Urbanum repente motum ac secessionem Populi excitavit per Regna? inflammavit lingua, quod deniq; malum propugnacula, celleberrimas in Orbe Civitates ac potentissima delevit Regna? expugnavit funestavit funditusq; evertit lingua. At unde in tantillo membro tanta malorum copia? qui tantam lingua tam minuta pestem alere? haud quidem alit sed perversus et quæ scelestissima potest moliri animus, lingua aperit promovet et ad effectum deducit. à Contrario

Contra verò animus, ubi ad omnem virtutis legem agitur; omnis, quæ ratio insignitur, sapientiæ commendatio, omne solertiæ humanæ præmium, omnis perfectæ mentis gloria lingua proferuntur. Neque enim tam exiguum à Cælo concessum donum Homini est, quod sine adminiculo linguæ absolvi possit vel eidem quodammodo non communicaret. Cogitemus namque quid usquam rerum est omnium, quod gratiam contineat, lingua verò non absolvatur. Prudentia illa perfectissimæ rationis Domina, quæ omni virtuti leges præscribit, nisi lingua pandatur, imprudens est, veritas omnium, ut Sacræ testantur paginæ, fortissima sine linguæ præsidio est infirma aut habetur falsa. Cæterum si animus ex omnium scelerum colluvione sit conflatus et quæ parturit, lingua proferat vel illud erit præmium, ubi quæ perversitas Hominis moliatur, silentio lingua extinxerit. Quantum enim in rebus rationi veræ consentaneis facundia, tantum non minus in perversis valet silentium. A Simili

At ubi sceleratus homo scelestam dissolvit linguam, quidni crudele ferrum dixeris, quod multorum vix sanguine satietur? quidni flammam omnis animorum consensionis devorantem? quidni jaculum cujus nec munita pectora nec loci distantia feriendi vim debilitet? Ea namque immanis est linguæ conditio, ut quemadmodum cætera malorum progenies præfinitam sibi nocendi habeat regionem, hæc omnem rejiciens modum nec sibi velit imperare. Etenim canis tum insanus aperta vi petit, tum tacitus Basilicus trucidat murmu-

rando, tum Sirenum instar dolosis lactat verbis, cum atq; urente pestilentia Urbes Provinciæ totaq; Imperia subvertuntur.

A6 Exemplo.

Quid? in re tam aperta afferri dubium? tum profecto, commune ubi fragilitatis humanæ malum in controversiam deducetur. Revocate namq; in memoriam humanæ vitæ initia, cogitate beatam ejusdem conditionem, commentemini delicias, innocentiam, immortalitatem aut siqua fuere cætera Naturæ bona, quo amabo facta sunt? confecit lingua. Etenim ut potentissimus rerum omnium ac Sapientissimus Opifex Parentes nostros é nihilo condidit iisdemq; bona nullis casibus nullis temporibus dedit subjecta, nisi de uno Paradisi gustarint malo; hac antiquus, ut Divinæ ajunt literæ, serpens Parentum felicitate mærens, lingua comprimis irretire. Intrat Paradisum, jam coluber repit ac incautam tandem aggreditur Mulierem. Stultos vos agit, qui beati optimam non gustatis arborem, ecquid prohibet? num Dominus? equidem sibi vos non optat similes, carpe, fer marito, eritis sicut D.ii bonum scientes et malum, cæterum quæ Domini sunt in me sit istud malum o! astutiam incredibilem O! linguam gravissimis nequidem secundam sceleribus. Audit Mulier atq; in pomo calamitatum degustat initia.

A Testimonio veteri.

Legit hæc et perbelle novit Vir Sapientissimus, discutit omnia calamitatum genera, meditatur incendia, fingit naufragia, contemplatur pestis et famis attrocitatem ac crudelem intuetur Martem, tandem, gladio aut cæteris malorum multos quidem interiisse, multo sed

plures intemperantiæ lingua periisse. Hæc enim tempori quandoq;
aut Hominum cedunt industriæ, illa verò ut Divus Jacobus ait; omni
sævior fera quæ nulla unquam vi domari frangiq; quivit.

Ab Epilogo.

Quare sapiamus aliquando, et pestem quam pravo linguæ vidimus
usu afferri posse, tandem execremur. Id unum in votis sit nobis et
totius vitæ instituto contendamus, ut Divinum illud munus cum
laude et proprio adhibeamus commodo et sicubi perversus ani-
mi motus aut ulla temporis abuti ratio voluerit, malimus pro in-
juria vel sermone potius fraudari gratia quam segetem tantis ca-
lamitatibus et Materiam importare.

CHRIA MIXTA

Sentent: Omnia mea mecum porto. Bias.

à Laudativo.

Magnum in omni vita brevium sapientiumq; dictorum pondus est, cum
paucis animo veritatem subjiciant et ad honestæ rei studium amoremq; velut fa-
ces quasdam admoveant, qualibus illa clarissimi septem inter sapientes egregiè
Biantis demonstrant dicta. Etenim hic ubi populabundum juxta hostem con-
spiceret et suo et cervicibus Civium imminere, vitam in tantis fortunæ procel-
lis ut cæteri salvandum ratus est. Interea urbs tota movetur; plateæ fugienti-
um et clamore lamentantium implentur; ille caram bajulat sobolem, hic
loculis aut cæteris rei domesticæ bonis onustus fugit; alter oneris ergo de-
ficit; alter spe vires aut metu revocat. Id ubi agitur, Senex postremo Bias
nulla pecuniæ aut suppelectilis sarcina impeditus, sed baculum quo cur-

sum acceleret manutenens fugitat. Mirantur omnes imprudentiam Senis, alij hunc timori nimio levitatem, inproviso alij casui tribuendum putant, tandem requirit alter, cur sibi in tanta tempestate haud consuluerit nihilque de suo asportaret? ille vero: vel optime, ne illius me quod prædæ hostium sit, pœniteat. Omnia enim mea mecum porto. Paraphrasi et Causa.

Ita est profecto, omnem de Priene hic Sapientissimus Bias suppellectilem, omnes queis abundabat, divitias asportavit. Nam quæ amabo est ita multorum in commemoranda pecunia, in jactanda pretiosa suppellictili, in recensendis latifundiis superba et insolens ostentatio? quo tandem jure Divites appellant illa quæ habent, et in ejusmodi rebus aut consectandis aut vindicandis Curas, studia, contentiones collocant? Soline igitur Divites qui magnam vim auri et argenti, qui aurea tecta qui villas, qui signa, qui tabulas, qui suppellectilem ac vestem infinite possident. Quid si nec Divites quidem, quid si etiam pauperes merito nuncupandi videantur. Quas enim putamus divitias aut hoc verbum in quo homine positum est, opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad beate liberaliterque vivendum contentus sit; qui nihil appetat; nulla re indigeat, nihil sentiat sibi deesse. Illud vero quæ Divina præter virtutem vis assequi? Virtus est, quæ satietatem et perfectam rerum abundantiam parit, virtutem ille haud imprudens rerum Æstimator, in eadem vero gloriam, divitias vel potius sua portavit omnia. Sic enim existimavit nullam Generis esse claritatem, nullam sine virtute apud Homines commendationem nihil sine perfecta ratione bonam valere valetudinem, languescere formam ac robur infirmari. Illa namque Divina virtute infirma confirmantur, abjecta illustrantur, claritudo Nobilibus, Senectuti veneratio, Adolescentiæ gloria generatur. Sola quin celebretur nunquam, digna, sola perfectam honestatis for=

mam ac omnia homini summa donat. Ac ideo egregie Thesaurum dixeris, cujus pretium nec assignari nec unquam exhauriri contenta sibi nihil à fortuna postulat omnes is locupletando sufficit; ut quæ cætera Mundi bona vi extorqueri fraude auferri valent sic suis absoluta numeris potentia, dolo temporum aut casuum ratione nunquam commovetur. Nam supremum illud voluit donum optimarum rerum Largitor DEUS ea insignire dote ut quemadmodum suo absque Numine dari ab Homine aut possideri ulla etiam vi auferri non posset. à Contrario

Age verò lustremus animo divitias aut si quod naturæ aut fortunæ vocetur bonum, DEUS bone! quæ perversa eorundem ratio nullas enim ne dicam virtutis Legem patitur sed hominem infinitis turpissime vitiis obruit et cooperit. Optimus namque Vir ubi consulere cæteris aut sibi cupit nummis, denegantur, vitioso, ut vitam omni vitiorum labe coinquinare, officia promittuntur, Opes et cætera fortunæ bona commondantur. Cæterum qui per ora hominum traduci solent opulenti, cum avaritiæ rapinarum, impiissimorum quæstuum incusantur; quorum tandem pretio præter scelus morte aut justo fraudantur fato. Sed fac posse hominum aut fortunæ vitari tela quid si citra virtutem sint quid si sempiternis sæculorum luant ætatibus. à Simili

Ac ideo quid aliud est hujusmodi bonis gloriari atque desipere, nam cum laudem et ornamentum ex virtute capiunt, hac profecto orbata nugæ videri debent et deliramenta. Vendita igitur opulente! vendita opes, jactato quodque copiarum genus, viden speciosam cornicem Æsopi ut circumspectat sese varietatem pennarum ostentat, sed medius Fidius ne alienis pennis velocius in summam contumeliam spoliere.

ab Exemplo.

Longe aliter sensit Jobus. Hic ubi omni copiarum genere abundaret, infinitas camelorum turmas oviumq. greges numeraret, numerosa gauderet sobole, parvi aut nihil hæc habebat omnia. Existimavit enim hæc imperfecta nec diuduratura et infirma vitæ beatæ adminicula. Virtutem ideo mirifice coluit, hanc mente unicam versare, hanc conabatur vita semper et Moribus præseferre. Nec immerito. Animadvertit namquè propediem, quam parum sibi fortuna sit constans, virtus econtra nulla temporum iniquitate nullis fortunæ telis nullo inimicorum ferro debilitari frangiq. possit. Cum enim instabilia hæc dona inimicorum furore, ventorum tempestate abrepta præter virtutem cerneret, cognovit virtutem auro potiorem, quæ amitti nunquam, liberis præstantiorem nimirum divitiarum Auctorem prolisq. Sanctæ Parentem.

A Testimonio Veterum

Cognovit idem Seneca, cum Imperatorum cogitaret potentiam, congregatas toto terrarum Orbe ponderaret divitias, nihil inquit isthæc: unum Hominis bonum virtus est. Indignum namquè putavit ab Homine ut divitiis affluat omnē dirigi studium omnē contentionem collocari. Nam ut rectè hic Plautus: Omnia inquit ei adsunt bona, penes quem est virtus.

Ab Epilogo.

Quare si hominum sapientum consiliis obsequi, si parere rationi, si proborum imitari exempla volumus, si nobis utilitas, si ipsa virtus, si propria salus cordi est, omni studio et contentione in virtutem incumbamus, nevè mittamus rem præstantissimam ad felicitatem hominum æternamq. beatitudine a DEO institutam serio enitamur.